1515. d. 15. Junij —

# Sigismundus Primus Rex Poloniæ Leonardo Feycichowski —

83

Venerabilis, Grate, Dilecte.

Quamvis familiari experientiâ, eam de te oppinionem conceperimus ut in his, quæ tuam in nos fidem, artisque peritiam, et obsequiorum sedulitatem, requirunt, nullis te monitis egere existimemus. Cum tamen eximie nobis curæ sit salus Reginalis Mtis te cohortandum duximus, ut quemadmodum adhuc semper fecisti, ita nunc quoque circa partum cui proxima est, omni cogitatione, curâque incumbas, ut omnia pro nostro inæstimabili Desiderio, quam rectissimè succedant. Neque ullis laboribus aut vigiliis parcas, in consulendo, quæ oportuna censueris, quod nobis erit acceptum, qui famulatum quem nobis impendere non desistis, gratô animô metientes, Personam tuam in bis quæ honoris tui accessionem concernunt, semper intendimus habere commendatum. Datt Posonij Die 15. Junij. Anno Domini 1515º